14.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis
decimâ ~~octavâ~~ quintâ Martii M. DCC. XXXI.

autor M. Vasse.

M. NICOLAO LE ROY DE SAINT AIGNAN,
Doctore Medico, Præside.

An Ananas Alimentum-Medicamentum?

I.



AVE ab eo quod calidum & frigidum insufflat: quot ex ingluvie morbi, quot fecit ægrotantes voracitas? Gula omnium vitiorum prima parens. Quot malorum quanta causa, imò quot & bonorum! Olim buccellâ periêre primi Parentes, *Quia comedisti de ligno*.....[a] &c. Nunc buccellâ reparantur.[b] Tantùm malâ tanta bona totque salutiferos effectus potuit efficere in hominis commodum? Sobrietas est temperantiæ circa cibos quædam species homini quàm necessaria. Plures gulâ quàm ense necantur: ingluvies, ingurgitatio, voracitas, ebrietas, crapula, hostes

a Genes. 3. 17.
b Jonn. 6. 52.

domestici, occultè pungunt; errores grati, venenum suavè proponunt; delicias oti, palato, linguæ, naribus & oculis suppeditant. Ne gustui nimis credas, latet anguis: quot ciborum, tot virium sive proprietatum diversæ species. Pro cibi diversitate diversus chylus, pro chyli varietate sanguis à sanguine differt; hinc humorum aliorum disparitas; in glutine & cambio dissimilitudo à partibus nutriendis; hinc in Temperamento mutationes, in vitæ decursu alterationes, partium tritus, insensilium exhalatio, fibrillarum desiccatio & rigiditas, ad functionum munera ineptitudo, mors tandem ineluctabilis, cujus procreast nationem in Medicinæ potestate sitam asserimus.

II.

Genes. 20. 29. *Genes.* 9. 3.

OMiranda Creatoris Providentia! Plantas, animalia, in comestionem dedit hominibus, 1°. Planta. *Ecce dedi vobis omnem herbam & universa ligna... ut sint vobis in escam.* 2°. Animalia etiam data sunt nobis ut eis vescamur: *Et omnne quod movetur & vivit erit vobis in cibum.* Ast hominis inconcinna vanitas nimis sollicita de sanitate imò enormis voracitas ad mineralia, metalla, lapides & terram usque manum extendit quasi hæc verba Genes. 17. 3. *Comedes ex eâ* (supple terrâ) ad litteram essent accipienda! Plura sunt alimenta ex animalibus & plantis deducenda faciliori labore, minoribus impensis præparanda, omni ætati, sexui, quoque tempore & loco, convenientiori modo sumenda. Metalla quæ duris, inflexibilibus particulis constantur, divisioni resistunt, nihil aut perpaucum principiorum Chymistis referunt; ea ponderc, mole & vi temperamento noxia agunt; undè exulanda ab alimentorum serie. Præferenda sunt si quæ sint edulia, quæ & nutritio & medicamentoso pollent vigore. Hæc præstant quæ pro suâ substantiâ, quantitate, qualitate, sumendi ordine, tempore & horâ, præparatione, consuetudine, delectatione, ætate, anni tempestate & aliis conditionibus paginam adimplent. Semina, olera, legumina & fructus non parvi momenti sunt inter alimenta. De fructibus hic loci agitanda venit quæstio; cujus ordinis serium tenet Ananas, qui alimentum inter & medicamentum, medium quoddam occupat utriusque naturæ particeps, quòd & nutrire & alterare potest, vocaturque alimentum medicamentosum.

III.

[a] *Lemeri.*

ANANAS [a] fructus est pulcherrimus visu gustuque suavissimus: In Indiis Orientalibus, ex quibus plagis hùc ad nos adfertur, crescit, suprà plantâ quâdam quæ figurâ & mole simillima Cinaræ videtur: florem emittit monopetalum infundibuli-formem tripartitum ad oram superiorem: fructus in apice coronâ quâdam parvâ donatur, ibique foliorum fasciculus rubro colore tanquam igneo deprehenditur: Cortex squammis ad instar nucis pinææ obducitur, sed separatur eodem ritu ac melo: caro ejus fibrosa, in aqnam convertitur dum ore comesta volvitur: saporem odoremque simul redolet tum Mali Persici, tum Cydoniæ, tum Uvarum Apianarum. Antequàm maturuerit subnascitur flos purpureus sub quâque squammâ, qui citò siccatus prout fructus sit grandior decidit. Ananatis triplex est species præcipua. Primæ speciei est Ananas aculeatus fructu ovato carne albidâ: Secundæ speciei est Ananas aculeatus fructu pyramidato carne aureâ: Tertiæ tandem speciei Ananas est non aculeatus Pitta dictus. Plum. Pit. Tournefort. Primus pollices octo nonnunquam decem diametrum habet, quindecim verò necnon sexdecim assurgit, cortex ejus maturescendo luteo colore pingitur; caro autem albida fibrosaque odorem quasi Cydoniæ sed fragrantiorem jucundioremque exhalat: Sapore tamen etsi duobus aliis & major & pulchrior inferiorem audit: dentes obtundit, gingivas erodit: secundæ speciei Ananas qui & pyramidalis vocitatur propter ejus figuram, folia longiora sed minus lata, sivè arctiora emittit, non adeò lutescit, sapore jucundior, gingivas ad sanguinem usque radit. Tertius tandèm quem Pomum Renetepse nominamus propter rùm saporis, tùm odoris

similitudinem quos in Pomo Renetensi deprehendimus, quamvis dentes non haberet, alias specie virtutibus præstat etiamsi ab aliis mole superetur. Quam in omnibus Ananatis speciebus coronulam perspeximus, hanc ferum esse Ananatis seu alterum Ananatem qui crescendo tanquam Patri succedit: sub caule seu ejus alis crescunt alii Ananates breviori quidem tempore sed minori virtute ac pulchritudine. Tandem hunc fructum bonum ad vescendum experimur usu, pulchrum esse oculis, aspectuque delectabilem intuemur, tandem sapore odoreque adeò suavem ut cum propter eximias dotes fructum arboris vitæ indigitaremus, ni planta ex quâ producitur herba esset, non verò lignum seu arbor.

IV.

HUNC cibum optimum dixeris quem cibi seu alimenti dotes deprehendimus obtinere salutares: Ananas alimentum est quod convenit omni ætati, sexui, quoque tempore, ubique gentium, seni & adolescenti, imò & infantulis idoneum est: viro maximè bonum, mulieri etiam sed non prægnanti, quia uterinos fluxus juvat nisi dosi parvâ comestus qui tunc ejus nauseam compescit: quaque etiam anni tempestate præ moderata ejus qualitate: ubique gentium cum per totum orbem sanus & integer transportetur quo maximè pollet saccharo conditus. Quid non supplet dùm alimentorum penuriâ premitur quis? fame laborat? fructus est ad comedendum suavis, siti inhiat os? ore ipso volvatur, in aquam cedit caro ejus humida, nonnihil refrigerans. Exercitio corpus defatigatur? parùm nutrit, necnon restaurat vires deperditas sanguinem humectando, ob nervorum rigiditatem quam laxat. Exercitio animus exhauritur? spiritus (si qui sint) refunduntur, insensilium emanationes recuperantur, cum spiritu volatili oleoso scateat: ante pastum Sthomacho gratus Ananas; inter comedendum aliorum ciborum nunc condimentum est, nunc ab ipsis corrigitur pro quantitate, modo quibus sumitur; post pastum pro utraque ratione: in jentaculo, in prandio, in merendâ, in cœnâ, in pervigilio. In jentaculo quidem si æstatis tempestate vivitur, si adest sitis, lassitudo, oris siccitas, si fames nondùm sentitur, si humido opus est, &c. In prandio ante pastum tanquam ciborum præparandæ viæ præcursor, si jejunus venter, si alvus constricta, si fames inexplebilis, si sitis propter jejunium, laborem, morbum, &c. si cibi comedendi stiptici, austeri, sicci, ingrati: inter comedendum assumitur propter eadem rationes, post prandium verò condimenti ad instar, sed maximè ad delectationem optimæ coctionis gratiâ: In merendâ pro reliquiis in ventriculo resumendis, miscendis, coquendis, pro virium restauratione, in æstu, exercitio, labore, defatigatione, fame, siti, oris, ventriculi, faucium siccitate, &c. pro Stomachi præparatione ad cœnam. In cœna ante pastum, si æstas, sitis, calor, liquidi penuria: inter pastum si alimenta sicca, dura, ingrata, si multùm comedere est, &c. Post cœnam deliciarum causâ; si nimis comestum est, si præ ciborum duritie, siccitate, acredine fauces inflammantur, &c. In pervigilio si sitis, faucium flagratio, salivæ penuria, &c. Nec gustûs est objectum peculiare, sed commune cæteris sensibus; si enim gustui suavis hic fructus quantâ ornatum pulchritudine prospicit eum oculus; odore quam jucundo afficiuntur nares: quæ delectatio iis qui dùm talem fructum vident, gustant, olfaciunt, perstrictant etiam, obvolvuntque manibus: restat auris forsan? imò, obmutescentibus sermones suppeditat in sui laudes, Creatori gratias agendas; & dùm ex ejus succo vinum malvatico simile bibitur, *Et vinum lætificet cor hominis, &c.* musica elicitur.

V.

AST, inquies, ad nuncce fructum porrigere manum nefas est? imò asportatur hùc & per totum orbem: conditur saccharo quo non solùm alimentum sed & medicamentum, fit quàm salutare: alimentum est quidem sed diversum ab eo quando erat naturale ac genuinum: nunc verò artis Medicæ incrementum est ad plures morbos prostigandos: In Stomachi debilitate utimur Ananate quo hujusce visceris fibrillarum tonus

fumatur; in anorexiâ, & appetitûs prostratione datur ante pastum ob ejus gratissimum saporem, odoremque jucundissimum; in virium defectu & lypothimia committitur ori, premiturque dentibus quo tritu sapor palato, naribus odor excipitur: cùm polleat salevolatili oleoso adhibetur in hemicraniâ, sensuum hebetudine, nervorum torpore, somnolentiâ, catharro, coryzâ, &c. In nauseâ comeditur ex delectatione fanatico: illi cibi præferendi sunt quibus aliquis maximè delectatur, etiamsi paulò deteriores sint iis quos aliquantulùm aversatur. Cibum cum voluptate assumptum ventriculus avidiùs amplectitur, promptiùsque & expeditiùs concoquit; hinc convenit omnibus cùm ab omnibus expetatur. Quis enim abhorret à fructu persicum malum redolente? aut quis odorem cydoniâ jucundiorem fugiat? tandèm vix reperies quem malè afficiant odor saporque uvarum appianarum. Ananatis præparationes non solùm sanitati inserviunt, sed etiam ad lautitias & conviviorum luxus spectant: undè in secundis mensis adhibetur; ad aliorum ciborum condimenta venit, modò cum lactis cremore per ejus superficiem clavorum ad instar figitur; nùnc saccharo orbiculorum figurâ obducitur; hic in biscocto à Pistoribus miscetur; aliquandò cum castaneis & vino sacchatato commanditur; sæpè sæpiùs in tortis, scriblitis, artocreatis, artolaganis, placentis, libis, &c. largâ manu inditur: nec gulæ has delicias judicaveris, sed artis Medicæ ad hominum utilitatem sanitatemque augendam aut conservandam commenta naturæ æmula mitator. Convenit ante & post pastum, necnon inter comedendum, ante & post Thé, Caffé, Chocolat, in jentaculo, merendâ & pervigilio cum pane & vino exhibetur. Tùnc restaurantur vires, firmantur caput & artus, Jecur, Lien exsuscitantur necnon alia organa. Usûs ejus diei, sudorem nonnihil excitat; nec abortus à prægnantibus timendus ex hujusce fructûs usu. çùm de Ananate corrècto, Saccharoque condito hic agatur, non verò de Ananate maturo: Experientiâ constant felices usûs, successûs salutares, hujusce mirabilis fructûs, videturque effectis quòd alimenti, irritamenti, condimenti, sed maximè medicaminis adimpleat munia.

Ergo Ananas Alimentum-Medicamentum.

Proponebat Parisiis, PETRUS ROUSSIN DE MONTABOURG, Constantiensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1731. à sextâ ad meridiem.

Typis G. F. Quillau, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1731.